



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

212. feria 3. de vitio Superbiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

380 *Feria 3. Domin. 6. post Pentecost.*

supra modum laudari audiens talem laudem non appetam, imò, ut vilem rideam. Accusabo me de lapsibus in hac materia commissis, eos detestando, quia merita bonorum operum vilissimo laudis humanæ pretio vendidi, & bona opera in peccata converti, apud Deum laude spoliatus, & labore: pugnabo contra hoc vitium, propter Dei gloriam bona inchoando, proseguendo, perficiendo, à Deo solo laudem expectando, coram hominibus bona opera, quantum licet, abscondendo. Petam lucem ad cognoscendam vilitatem humanæ laudis, & dignitatem gloriæ Dei.

MEDITATIO CCXII.

Feria 3. Domin. 6. post Pentecost.

De vitio Superbia.

Aspiciam superbos à Deo dispersos, sicut ædificatores Babel, & humiliatos, quibus Deus specialiter resistit, Jacob. 4. Petam istud vitium agnoscere, & evitare.

Conf. 1. Superbiam esse immoderatum appetitum excellentiæ, seu altioris gradus, quam personæ congruat, si cum divinæ providentiæ lege, aut cum ipsius personæ meritis conferatur. Gradus ejus est 1. quo quis bonum, quod habet, à semetipso se habere præsumit, ut Nabuchodonosor Dan. 4. 2.

Quo

Fer. 3. Domin. 6. post Pentecost. 381

Quo aliquis bona sua quidem à Deo profecta cognoscit, non tamen gratis data, sed pro meritis accepta, unde ingrati Deo gratias non agunt. 3. In quo dona Dei, & sine meritis data intelliguntur, sed majora esse, quam sint, judicantur; unde se solos, aut suam familiam divitem, alios homines pauperes censent, & inde contemnunt, quibus dicit Job 12. *Ergo vos soli estis homines, & vobiscum morietur sapientia?* 4. Eorum, qui licet non majora dona aestiment, quam ipsa sint: Tamen ideo se inaniter efferunt, & alijs præfidijs se non egere putant, seque alijs meliores, & dignos, quibus se alij subijciat. 5. Eorum, qui nihil dignum laude moliuntur, sed tamen eo ipso, quòd non peccant, inflantur; quia magnos peccatores umbra quâdam virtutis excedunt. 6. Est eorum, qui peccata sua defendunt, & correctionem subire detrectant, & impeccabiles haberi volunt, cum arguuntur, vel dicunt perfrictâ fronte: Non feci, aut bene feci, aut bonâ intentione feci, aut consilio prudentû motus feci. 7. Est præsumptio, quâ superbe majora viribus præsumuntur, cum quibus sunt ij, qui talentum moderatum abscondunt, & eo ipso, quòd summum non est, cum eo negotiari, & aliquid lucrari erubescunt. 8. Est eorum, qui de rectè factis se jactant, & dum

382 *Feria 3. Dom. 6. post Pentecost.*

& dum sibi deesse laudatores vident, se ipsos immoderatè collaudant, scientiam ostentant, sine causa virtutem, quam habent, signis, ac verbis prædicant, in omnibus volunt exaltari, & excellētes apparere. 9. Ambitio, quæ est appetitus immoderatus honoris.

Conf. 2. Remedia contra vitium superbiæ esse. 1. Considerare mala superbiæ: Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur cor, Prov 16. 2. Nōsse te ipsum, & tuam vilitatem, quā circumfluis. 3. Luciferi, & superborum Angelorum ruinam pertimesce, quos superbi omnes sequuntur. 4. Occasiones superbiæ evita, libenter cum humilibus conversare, humilia ministeria ama. 5. D. Bernard. serm. de David. hæc quinque remedia affert: 1. divinas comminationes expavescere. 2. Promissiones expectare. 3. Diligere Deum. 4. Exempla Sanctorum. 5. Orare adversus superbiam.

Conf. 3. Indicia exclusæ superbiæ sunt. 1. Si cognoscam me nihil, nisi mala habere à me, bona autem à DEO. 2. Si Deo intimo devotionis sensu me subdo, & omni creaturæ pro reverentia ejus. 3. Si sublimia non appeto. 4. Vilipendi patior. 5. Nesciri amo. 6. Absque mentis contradictione adversa & abjecta susfero. 7. Si me omni honore & bono, imò & vitâ ipsâ indignū æstimo. Confitebor lapsus
su per-

Fer. 3. Domin. 6. post Pentecost. 383

superbiae, detestando hoc vitium diabolicum, quod cor excæcat, ne meam vilitatem agnoscam; affectum corrumpit, ut alijs melioribus præponi cupiam, corpus deformat, ut signa elationis ridicula alijs, non sentiam: arrogantem, elatum, præsumptuosum, & ambitiosum facit. Petam à DEO gratiam impugnandi superbiam, meditando ea, quæ mei cognitionem afferunt, mea bona abscondunt, imbecillitatem, ac defectus ad confusionem meam revelando, actibus humilitatis internis, & externis insistendo. Postulabo humilitatem, quâ me Deus intra terminos cõtineat.

MEDITATIO CCXIII.

Feria 4. Domin. 6. post Pentecost.

*De sex stultitijs, quæ committuntur
in bello cum vitijs.*

Aspiciam sex errores, quibus abducuntur homines ad perdendam victoriam contra vitia ex Hugone Card. Petam eos agnoscere, & evitare.

Conf. 1. Errorem 1. esse arma onerosa, quæ certanti obsunt, uti arma Saulis Davidi 1. Reg. c. 17. Ea sunt oratio, jejunia sine mensura. 2. Error, non armari ante pugnam v. g. prostratus gladio impatientiæ vult primo sumere clypeum patientiæ, cum dictum sit Eccl. 2, Fili, accedens ad servitutem Dei,
As